

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica I. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

*Evangelium Luc. 2. v. 41. 52.*

### EXORDIUM.

**P**ostquam Deus servo suo Mosis in vertice montis Phasga Palæstinam ostenderit, mortuus est ibidem, & sepelivit eum Dominus in valle terræ Moab: nemo autem invenire potuit sepulchrum ejus, usque in præsentem diem, Deut. 34. v. 6. Et addit S. Judas, Diabolum cum Michaële Archangelo altercatum de Mosis corpore, Epist. v. 9.

Hæc Historia admiratione digna est. Nusquam enim legimus, Deum humatoris officio alias functum. Imprimis memorabile est, quod de altercatione Judas recēset, quæ inter Diabolum & Michaëlem Archangelum de corpore Mosis contigerit. Chrysostomus scribit, hanc litem inde ortam, quia Diabolus sepulchrum Mosis manifestare, Judæisque ansam idololatriæ ministrare voluit, ut reliquias ejus venerarentur, & adorarent, sicut cum serpente æneo magnam quoque Idololatriam exercuerunt, id prohibuisse Michaëlem, quia mandatum à Deo habebat, ut Diabolo resisteret: & sepulchrum in occulto conservaret. Probe enim sciebat Deus, quam proclives Judæi ad idololatriam essent, & quia Moses vir sanctissimus fuerat, qui cum Deo coram locutus, multa præclara miracula patiarat, post mortem ejus cavere

voluit, ne ansam delinquendi per hoc ipsum haberent, ideo ipse eum humavit, & nemini sepulchrum ejus manifestavit, nec dubium est, quin eum suo tempore ex mortuis resuscitatum, in cœlestem gloriam transtulerit: sicut ipsum cum *Enocho* & *Elia* in transfiguratione Christi in monte Thabor in majestate apparuisse legimus, dicentem excessum ejus, quem completurus erat in Hierusalem, Luc. 9. v. 31. Matth. 17. v. 3. Marc. 9. v. 4.

Quando perpendimus, Dilecti de Jesu li recens nati verbis atque operibus, quæ in pueritia sua egit, Spiritum sanctum nihil plane consignari voluisse, ratio hæc fortassis dari potest, ne hæc crepundia plus, quam opus redemptionis respicerentur, ad quod præcipue missus erat, à Patre suo cœlesti. Alias non improbable est, optimum hunc puerulum ab ipsis incunabulis radios Divinitatis suæ ostendisse, nec modo in verbis: sed & in factis mirandum sese exhibuisse, quod B. quoque Lutherum probabiliter adseruisse, constat.

Verum hoc ipsum, uti dictum, ad curiositatem & superstitionem præcavendam, literis non consignatum est, quæ æque ac cum corpore Mosis, fraude Diaboli inter homines facile institui potuisset.

Ideo

Ideò nihil movere nos debet, quod de annis puerilibus Servatoris nostri, nihil scriptum est. Prælectum Evangelium quasi compendium est omnium, quæ tempore illo cum ipso acta sunt. Cum enim factus esset annorum duodecim, ecce parentes ejus eum secum adduxerunt Hierosolymam, ubi gloriam suam ostendit. Sedebat enim in medio Doctorum non modò audiens eos, sed & interrogans, quomodo hoc & illud intelligerent, quod de Messia prædictum esset. At tamen cum eum parentes eju samissum in Templo invenirent, descendit cum ipsis Nazaretham, fuitque subditus illis. Proficiebat quoq; sapientiâ & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Videbimus nos

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegetis.

**H**Odierna Pericope non inconcinne Postilla domestica appellari potest, ex quâ quilibet lectionem suam discere potest. *Conjuges*, quomodo Dei cultum studiosè invisere, amicè cohabitare, & crucem, quæ à Deo immittitur, conjunctim ferre debeant, hoc probatum est coràm Deo & hominibus, Sir. 25. v. 1. *Parentes*, quomodo liberos suos ad Templum & Scholam mittere, & ab incunte ætate in disciplinâ & admonitione Domini educare debeant, Eph. 6. v. 4. *Liberi*, quomodo parentibus obsequium præstent, si benedictionem, quam Deus quarto præcepto annexit, quod ejusmodi liberis benè

futurum sit, hic & in æternum, hæreditare velint, Eph. 6. v. 3.

In genere verò discant hîc omnes Christiani, si cruce visitentur, & hoc ipso sæpè in tantas angustias conjiciantur, ut non aliter opinentur, quam Christum se planè amisisse, quale remedium adhibendum sit. Nempè ædem Domini frequentent, sollicitè eum quærentes, quem apparenter amiserunt, nec dubitent, quin eum reperturi sint. Quia non repellit in sempiternum Deus, etiam si affligit, Thren. 3. v. 31. seqq.

### Querela exhibet

*I. Parentum incuriam.* Exemplum habemus in prælecto Evangelio. Josephus & Maria, cum puero suo duodecenni Paschatos Festum Hierosolymis celebrarent. Dum igitur domum revertuntur, sine dubio magno in comitatu eorum qui pariter ibidem sacris interfuerant, non studiosè filium suum observant, mater cum patre, & pater cum matre eundem esse opinantur: siquidem si Bedæ credimus, viri & mulieres seorsim iter fecerunt.

Dum igitur vesperi in diversorio conveniunt, filiolum suum non adesse deprehendunt. In quantum in ærorem & animi sollicitudinem conjecti tum fuerint, optimi parentes, facilè conjicere licet. Hic enim puerulus salus mundi erat, de quo Angelus ad Pastores Berhlehemiticos dixerat: Ecce annuncio vobis gaudium magnum, Luc. 2. v. 10. Hic B. Maria procul dubio recordata est, quæ hæctenus de filio suo viderat & audierat, quod animi angorem magis in eâ auxit.

Fit istud adhuc hodie, si rem consideraveris,

1. *In sensu literali.* Sæpè parentes tempore belli, ex improvise à militibus in fugam coniecti, liberos suos relinquere coguntur, Jer. 47. v. 2. 3. Multos secum in vitis parentibus militatum abduxerunt, & ita neci tradiderunt: reluctantes, vel elapsuros, contra jus gentium ab arboribus suspenderunt, ut luctuosa ejusmodi exempla in propatulo sunt.

Idem fit, ubi Jesuitæ Reformationes suas instituunt. Quando enim Parentes à veritate Evangelicâ desciscere nolunt, liberos vi ipsis eripiunt, quibus alimenta illi procurare tenentur, ut ad idololatriam educati, corpore & animâ pereant. Id quidem ejusmodi parentes graviter angit: atamen præstat, liberos relinquere, quam Christum abnegare, Matth. 19. v. 29.

2. *In sensu spirituali,* quâ ratione Jesus noster sæpè amittitur

1. *In tentatione,* quando Deus nostrum oblitus, Christusque cum merito suo nihil ad nos attinere videtur, quod Job, David, Hiskias alique Sancti experti sunt. Id B. Lutherus prægustum inferni, nec non infernum ipsum appellat. Nulla enim gravior afflictio in toto mundo est, quam si quem torrentes Belial conturbent, & periculum est, ne ab iisdem supereris, Psal. 18. v. 5.

2. *In persecutione.* Quando Christus propter scædam ingratitude & contemptum verbi sui candelabrum movet de loco suo, Apoc. 1. v. 5. & exit de templo, Joh. 8. v. 89.

Quot florentes Ecclesias Apostoli in Palæstinâ, Italiâ, Græciâ, alibique locorum passim plantarunt? Sed ubi sunt illæ hodie? Nonne Machometes in Oriente, &

Anti-Christus in Occidente miserè omnia devastarunt, ut miserimi illi Jesulum amiserint, & in operationem erroris inciderrint, ut credere cogantur mendacio, quia ante charitatem veritatis non receperunt, 2. Thess. 2. v. 10.

3. *In maledictione,* quando pacem, patrociniū, benedictionem suam à nobis auferit Deus, & ex adverso maledictionem imittit, ubi omnia sub manibus dilabuntur, juxta illud Hagg. 1. v. 6. Hinc ipse ait: Væ illis, ubi ego discessero, Os. 9. v. 12.

II. *Consequentem miseriam.* Ubi enim Parentes Christi Filium suum non adesse vident, anxie discurrentes quærunt eum, primò in comitatu, deindè Hierosolymas revertuntur, inter cognatos & amicos eum inquirentes: prorsus vita acerba est, dum Filium inveniant. Verùm licet nullam non diligentiam adhibeant illi, tamen usque in diem tertium in hâc animi perturbatione permanere coguntur, donec eum in medio Doctorum inveniunt, audientem & interrogantem eos.

Idem piis Christianis adhuc hodiè non raro accidit, ut sub cruce constituti cum dolore quærant, quem diligit anima sua, & non inveniunt, Cant. 3. v. 1. Sæpè se dicto quodam Scripturæ involvit, & expectat, dum eum inveniamus, hinc David: Tibi dixit cor meum, quærite faciem meam, faciem tuam Dominem requiram, Psalm. 27. vers. 8.

Has ejus horas & moras æquo animo feramus oportet, expectantes, dum hora auxilii adveniat, quæ accelerari nequit. Omnia enim ordinavit in numero, pondere & mensurâ, Sap. 11. v. 22. Quando  
igi-

igitur alicui crucem imponit, tempus suum habet, quousque durare, habet mensuram suam, qualis esse, habet pondus suum, quàm grave esse debeat: id omne impleri oportet dum constitutum suum terminum attingat. Hinc Christus ad Ananiam de Saulo: Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati, Act. 9. v. 16. Ita patienter nos expectemus, quod Deus immittere nobis decrevit, non dubitantes, quin ut fidelis ille est, non passurus sit nos tentari supra id quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13. Thren. 3. v. 31.

III. *Naturalem ignorantiam*, quæ nobis omnibus connata est, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, stulticia siquidem est nobis & non intelligimus, 1. Cor. 2. v. 14. Hic audimus, Mariam dum Filiolum suum in Templo in medio Doctorum reperit, eumque objurgat, quod se insciis remanserit, hocq; ipso in hanc animi sollicitudinem conjecerit, ut usque in diem tertium eum quærere coacta fuerit, hoc responsum ferre: Quid est, quod quærebatis me? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Hoc sublimius erat quàm ut capere potuerit. Interim omnia hæc verba conservabat in corde suo.

Discimus hic, quomodo mysteria divina, quorum in Scripturis plurima occurrunt, tractanda sint. Nempe quod ratione nostrâ assequi non possumus, non despicere, sed fide apprehendere debemus. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20. v. 29.

Audi B. Lutherum de Mysterio S. Cæ-

næ dicentem: Mein lieber Herr Christe / es hat sich ein Streit erhoben / über deinen Stiftungs-Worten / und wollen etliche / sie sollen anders verstanden werden / als sie lauten. Aber / weil sie mich nichts gewisses lehren / sondern nur verwirren / und ihren Text in keinen Weg behaupten können / so bin ich blieben bey deinen Worten / wie sie lauten / ist etwas finster darinnen / so hast du es so finster haben wollen. Denn du hast keine andere Erklärung drüber gegeben / noch zu geben befohlen / so findet man auch in keiner Schrift noch Sprache / daß / Ist / sol bedeut / und mein Leib / Leibes Zeichen heißen: wäre nun eine Finsternis drinnen / so wirstu mirs zu gute halten / ob ichs nicht treffe / wie du deinen lieben Aposteln zu gute hieltest / da sie dich in vielen Stücken nicht verstunden. Hactenus Lutherus.

Hæc ita optima ratio est, si literæ inhæreamus, & rationem nostram captivemus in obsequium Christi, credentes contra spem in spem, plenissimè scientes, quia quæcunque promisit Deus, potens quoque sit facere, Rom. 4.0.21.

### De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex Jesuli amissi reptione*. Joseph & Maria triduum discurrere & Filiolum suum quærere cogebantur: tandem inveniebant illum, proptereaque magno gaudio superfundebantur.

Ita

Ita Dominus non in æternum dabit afflictionem justo, Psal. 55. v. 23. Sed licet tempore calamitatis abscondat se, tamen vultum suum amabilem rursus ostendere vult, hinc ipse ait: Ad punctum in modico dereliqui te &c. Esa. 54. v. 8. 9.

Equidem tempus quandoque longiusculum videtur, ut cum Davide queramur: Nunquid in æternum projiciet Deus? Psal. 77. v. 8. 9.

Mulier illa habuit spiritum infirmitatis decem & octo annis, ut esset incurvata, nec omnino possit rursus respicere, Luc. 13. v. 12.

Vir ille ad lacum Bethesda triginta & octo annos habuit in infirmitate sua, Joh. 5. v. 5.

Claudus ille ad portam Templi quadraginta annos claudicare coactus est, Act. 3. v. 2. Ita adhuc hodie multi clamant in doloribus suis: Usque quò Domine clamabimus, & non exaudies? Habac. 1. v. 2. *Lang/lang/Das macht dem Herken bang.*

Verùm si tribulationem penitus inspicimus, nihil aliud illa est, quàm nubecula citò transitura, teste Athanasio: Veluti enim Sol obnubilato cœlo, sub nubibus abscondit se; Ita Sol justitiæ rebus adversis stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, Cant. 2. v. 9. Quando omnia desperata esse censemus, prodit ipse, & exhilarat nos, pro diebus, quibus nos afflixit, Psal. 90. v. 16. Tob. 3. v. 22. seq.

II. *Ex operis peracti devotione.* Invenit enim Maria Jesulum in medio Doctorum, audientem & interrogantem eos.

Ita puer hic duodecennis jucundum

spectaculum præbuit, dum inter Rabbinos senectute & canitie venerabiles sedit, & ex sacris literis cum iisdem contulit.

Procul dubio vaticinium Iacobi de Schilo, è Tribu Iudâ oriundo explicuit, Gen. 49. v. 10. Idem, quæ ratio sit hebdomadam septuaginta Danielis, c. 9. v. 24. nec non, quid de Messia statuendum, quo tempore adventurus, & annon jam tum in limine sit. Hæc & ejus generis alia ad eò ingeniosè ventilavit, ut nemo non super prudentiâ & responsis ejus obstupuerit.

Nos certissimè persuadeamus nobis, id non modò tum temporis esse factum, sed Christum adhuc hodie locum suum habere in medio Doctorum. Ipse enim est, qui Jerusalem Evangelistas dat, Esa. 41. v. 27. & dat verba in ore eorum, Jer. 1. v. 9. ut cum fiduciâ testificent majoribus & minoribus, quid agere quidque ommittere debeant, Act. 26. v. 22. Ipse quoque est qui Ecclesiam suam adversus Diabolum & satellites ejus defendit, ut portæ inferorum non prævalere possint adversus eam, Matt. 16. v. 18.

Hoc solatio freti in omnibus calamitatibus dicamus: Deus noster refugium & virtus, Pl. 46. v. 1. seqq.

III. *Ex Jesuli accretione.* Jesus enim proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Hoc in solatium omnium piorum & morigerorum liberorum scriptum est. Quando enim & ipsi ad exemplum pueri hujus duodecennis præprimis Deum timebunt, tum & parentes suos honorabunt, in opere & sermone, & in omni patientiâ, superveniet

eis

eis benedictio Dei copiosa, quoad corpus & animam, Sir. 3. v. 3. seqq.

Sicut igitur obsequentes liberos larga remuneratio manet: sic contra maledictio immorigeros prosequitur, quod vel unicum Absolonis exemplum satis probat, 2. Sam. 18. v. 9. seqq.

Optima & largissima remuneratio sequetur die novissimo: ubi illos Deus longitudine dierum replebit, Psal. 91. v. 16. ubi in perpetuam sanitate ut palma virebunt, etiam in senectute frugiferi erunt, germinebunt, & virebunt, Psal. 92. v. 13, 15.

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, cujus tres sunt Regulae, quarum

I. *Dies festos celebra.* Id parentes Christi fecerunt. Ibant enim omnes annos in Hierusalem. Ad hoc soli viri obstricti fuerunt, ut constat ex Exod. 23. v. 12. Deur. 16. v. 16. Quod verò Maria quoque cum puerulo suo duodecenni se comitem Josepho adjungit, id devotioni ejus adscribendum est, quam in visitatione cultus divini ostendit. Nos hinc exemplum capiamus, ut ante omnia quaeramus Regnum Dei & justitiam ejus, & juxta promissionem Christi, caetera omnia adjicientur nobis, Matth. 6. v. 33.

Quamvis enim ad Judaeorum solemnitates obstricti non simus, in N. Test. at tamen Ecclesia alia Festa ordinavit, quae salvam conscientiam negligere non possumus, sed debitam devotione celebrare tenemur.

In locum Judaici Sabbathi successit dies Dominica, quem Apostoli ex liber-

tate Christianam illi substituerunt, quia eo ipso Servator ex mortuis resurrexit, unde etiam *ἡμέρα κυριακή* appellatur, Apoc. 1. v. 20.

Loco Judaicorum festorum solennium, nos tria alia nunc celebramus, nempe Festum incarnationis, Paschatos, & Pentecostes. Festum Incarnationis gratiam Dei praeteriit: reliqua duo suo tempore sequentur: quae quidem nihil aliud sunt, quam anniversariae commonefactiones beneficiorum, quae nobis Deus per incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionem Filii sui parata, ex gratia exhibet & donat. Imprimis, ubi in Festo Pentecostes Spiritum sanctum promissum specie visibili super Apostolos effudit, Actor. 2. v. 4. qui adhuc hodie habitat in cordibus fidelium, 1. Cor. 3. v. 16. & adjuvat infirmitatem eorum, Rom. 8. v. 26. Ne sub cruce desperemus, sed bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19. & tandem finem fidei reportemus, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

His adjuncta sunt Festa Apostolorum, quae non ideo celebramus in Ecclesiis A. C. ut honore divino eos mactemus, qui honos soli Christo debetur, sed ut meminerimus Praepositorum nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitemur fidem, Hebr. 13. v. 7.

Sicut igitur parentes Christi longo illo itinere non absterriti, quotannis Paschatos Festum Hierosolymis inviserunt, & cultui divino à principio usque ad finem interfuerunt: Ita & nos Dominicam die, aliisque diebus festis nihil aliud agamus,

sed transeamus cum catervâ, & ambulemus ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, & cum sono festivitatis, Psal. 42. v. 5.

Judæis magnâ cum molestiâ iter faciendum fuit, aliis quinque, aliis decem, aliis viginti milliarium, siquidem hic de parentibus Christi audimus, quod Nazarethâ Hierosolymam sedecim, vel ut alii volunt, viginti milliaria profecti sint. Alii longius adhuc distiti fuerunt, siquidem in Festo Pentecostes, Hierosolymis, Parthos, & Medos, & Elemitas, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circâ Cytensem, & Romanos, Cretes & Arabes, adfuisse legimus, Act. 2. v. 9. 10.

Nos tantis sumptibus & molestiis superfedere possumus, qui præ foribus & in propinquo habemus, quod ad salutem nobis necessarium est. Ecce igitur tam socordes sumus, ut eandem negligamus? O dilecti! unum est necessarium, Luc. 10. v. 42. Nempe pietas infucata. Oremus igitur cum Davide: In unicum hoc dirige cor meum, ut timeat nomen tuum, Psal. 86. v. 11.

Judæi septem diebus continuis Festa sua celebrare tenebantur. Nos quoque compendio utentes, biduo vel triduo ea absolvimus: Et tamen multi ex præposterâ negligentia cultui divino vacare nolunt; quin sæpè non expectatâ benedictione è templo se subducunt, ut non immeritò illis applices illud Davidis; Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit be-

nedictionem, & elongabitur ab eo, Psal. 109. v. 18.

Judæi sumtuosa Sacrificia de bobus, ovibus, vitulis, arietibus, capris, vino, oleo, similibus, ejusque generis aliis afferre tenebantur, in genere verò nemini vacuo apparere licuit: sed unumquemque offerre oportebat, secundum quod habebat, juxta benedictionem Domini DEI sui, quam dederat ei, Deut. 16. v. 17.

Nobis sumptibus & Sacrificiis hisce minus opus est: interim manet hoc morale, quod hilarem datorem diligit DEUS, Hebr. 9. v. 7. Tob. 4. v. 9. ideò eò promptius ad Dei cultum properemus, sumus populus spontaneus, in decore sancto, Psal. 110. v. 3. 1. Sam. 2. v. 30.

II. *Jesulum amissum recupera.* Hic Josephum & Mariam Jesulum amissum tandem quærere audimus, donec inveniant eum.

Hæc imago Ecclesiæ est. Sæpè fit, ut Christus amittatur; neque enim loco, populo, aut personæ certæ adstrictus est, sed quisquis timet eum, & operatur justitiam, acceptus est ei, Act. 10. v. 35.

Opus proindè est, ut illi, qui Christum adhuc habent, operam dent, quò retineant eum, orantes cum Ambrosio: Da Domine, ut sic te possideamus, ut nunquam amittamus. Et cum discipulis Emaunticis: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies; Luc. 24. v. 29.

Qui verò ipsum amiserunt, vel apparenter, uti David, qui in trepidatione suâ dixit: Projectus sum à facie oculorum tuorum, Psal. 31. v. 23. vel verè per varia pec-



peccata & flagitia, ut Publicanus, Luc. 18. v. 13. vestigia ejus observent oportet, donec inveniant, quem diligit anima sua, Cant. 2. v. 4.

In prælectâ Pericope ostenduntur nobis

1. *Vestigia pœnitentia.* Joseph enim & Maria quæsi verunt Christum ἰδοὺ Ἰησοῦς. Ita nos cum Publicano pectus percussimus, Luc. 18. v. 13. cum Petro amarè fleamus, Matth. 26. v. 75. cum Hiskia sicut grus, & hirundo garrimus, Esa. 38. v. 14. Talis tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem, cujus neminem pœniteat, operatur, 2. Cor. 7. v. 10. Psal. 51. v. 19.

2. *Vestigia confidentia.* Parentes mæsti non dubitant, quin Jesulum suum reperiri sint, quæ spes etiam non decollavit. Ita etiam illi, qui fraude Satanæ in delicto aliquo præoccupati sunt, Gal. 6. v. 1. fiduciam suam non abjiciant, Hebr. 2. v. 13. sed nitantur juramento Dei, quâ contestatus est, se nolle mortem peccatoris, Ezech. 33. v. 11. idè bonæ spei fecit filios suos, deditque locum pœnitentiæ, Sapient. 12. v. 19. exemplo sit perditus filius, Luc. 15. v. 20.

3. *Vestigia novæ obedientia.* Jesus enim repertus est in iis, quæ Patris sui sunt, quin & descendit cum eis Nazareth, fuitque parentibus suis subditus.

Hoc necessariò pœnitentiam sequi debet, 1. Job. 2. v. 6. Christi nomen & impia vita non concordant. Discedat ab omni iniquitate is, qui nominat nomen Domini, 2. Tim. 2. 19.

Qui hoc modo Christum quærir, & vestigia ejus investigat, is non frustra quærer: sed inveniet eum, quem diligit anima sua,

Cant. 2. v. 4. Deut. 4. v. 29. Qui vero hunc Dominum invenit, invenit thesaurum toto mundo pretiosorem, ut Bernardus ait, & cum Assaph dicere potest: Quid mihi est in cœlo? Psal. 73. v. 25.

III. *Parentibus obtempera.* De Jesulo dicitur, quod fuerit subditus parentibus. Id adhuc hodie liberi imitentur: Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est, Eph. 6. v. 2. 3.

Jesulus obedientiam suam probavit

1. *Reverenter.* Modestè enim respondet matri objurganti: Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Habebat enim Patrem superiorem in cœlis, qui eum ad evangelizandum afflictis miserat, Ela. 61. v. 1.

Discite hinc, quomodo & vos, ô filii, parentes vestros debitâ reverentia prosequamini, sicut Isaac, Gen. 22. v. 7. Salomo, 1. Reg. 2. v. 20.

Hoc decorum est. Quod si enim in genere honore nos invicem prævenire debemus, Rom. 12. v. 10. quanto magis liberi parentes, quos Deus illis præ aliis ad honorandum proposuit, juxta quartum præceptum, Eph. 6. v. 2.

2. *Decenter.* Jesus non invitus cum matre sua Nazareth descendit. Ita similiter liberi parentibus debitam obedientiam præstent necesse est, ne pœnam DEI temporalem & æternam incurrant: Oculum qui subsannat patrem, & qui contemnit obedire matri suæ, effodient eum corvi in torrentibus, Prov. 30. v. 17.

3. *Patienter.* Puerulus Jesus parentibus

bus suis subditus fuit. Hoc est, operam suam in re familiari, ubicunque potuit, iis fideliter præstitit. Imprimis verò Patri suo putativo diligenter inserviisse eum, consentaneum est, quia non modò à conterraneis suis filius fabri, Matth. 3. v. 55. sed & faber appellatur. Marc. 6. v. 3.

Ita adhuc hodie laudabile est, si liberi labori se dedant: ita enim in maturâ ætate honestè se alere possunt: Ubi contra multam malitiam docet otiositas, Sir. 33. v. 29. & egestatem & pauperiem parit, Prov. 6. v. 11.

Dirigat nos DEUS in viis rectis,  
Amen!

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM,

*Evangelium Joh. 2. v. 1. -- 11.*

### EXORDIUM.

**P**ostquam Deus Opt. Max. Aaroni & filiis ejus certum salarium constituerat, quid de Sacrificiis, Levandis atque Anathemate habere deberent, tandem ita concludit: Hoc pactum salis est æternum coràm Domino, Num. 18. v. 19. sic & de David memoratur, quod Deus ipsi & filiis ejus, Regnum super Israel dederit, in pactum salis, 2. Chron. 13. v. 5.

Hoc peculiare genus loquendi est, & adhibetur de ejusmodi pacto, quod nunquam desitutum: sed semper in vigore suo incorruptè conservandum est. Quemadmodum enim sal hæc virtute præditus est, ut carnes sine putredine conservet; Ita Deus hoc ipso Aaronem & Davidem certiore redere voluit, quod omnia, quæ illis promiserit, sanctè & incorruptè servaturus esset. Dona enim DEI

sunt *ἀμείωτα*, Roman. 11. vers. 29.

Quando pactum conjugale spectamus, quod inter maritum & uxorem contrahitur, & per manum Ecclesiæ ministri confirmatur, illud non absurdè pactum salis vocari potest. Amicus enim & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro, Sir. 41. v. 23. hi per vitam suâ cohabitare, & multa modia salis comedere tenentur in prosperis & adversis, nil nisi morte ipsos tandem dirimente, Matth. 19. v. 6.

Sicut igitur sal acredine pollet, & tamen cibos sapos reddit, carnemque à putredine conservat: Ita pii conjuges in hoc salis pacto ita cohabitare debent, ut amorem nunquam corrumpi, sive putrescere sinant: sed sale gratiæ & modestiæ verba & opera sua semper condiant, Col. 4. vers. 6. Ita ut viri secundum scientiam coha-